...simirus Ep. Crac.

...Sandom. Soc. Jesu Collegiorum Frons

Senatus. Caput tiara ducali sublimius

FRONS SENATUS. CAPUT TIARA DUCALI SUBLIMIUS.

CELSISSIMUS PRINCEPS,

DUX SEVERIÆ,

Illustrissimus & Reverendissimus

CASIMIRUS

à ŁUBNA

ŁUBIENSKI,

DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ,

Religionis Commodo,

Patriæ Felicitate,

Omnium Votô,

EPISCOPUS CRACOVIENSIS,

Sub exordia Inaugurationis Suæ,

A Regio Episcopali Cracoviensi,

Diœcesanis Lublinensi, Sandomiriensi, Soc: JESU Collegiis,

Prono Cultu.

ADORATA.

Anno Domini 1711.

CRACOVIÆ, Typis Francisci Cezary, S. R. M. Typographi.

391

Quid Gentilitius Frontem secat ENSIS Avitam?

Mitræ de Tanto Vertice bella gerunt.

Parcite jam ferro; veniant licet omnia serta,

Vnum pro cunctis sat CAPVT istud erit.

CELSISSIME REVERENDISSIME PRINCEPS.

592

INter publicos Regni ſplendores, umbræ locum non habent; dabis tamen veniam, quòd atrati preli tenebras, in Tuæ Gloriæ pompam, deducamus. Etiam ipſæ noctes habent audaciam lucis, ſi Tui Nominis ſereno, refulſerint. Non minuit reverentiæ theatrum, quiſquis aureis Divorum aris, humiles offert violas; nec injuriam putat

Maxi-

Maximum Numen, ſi quis in ſuis
laudibus balbutiat. Videant ſecu-
la, quantùm Immortalia Operum
Tuorum Exempla, diſtent à peni-
cillo, quantum viva Virtutum ſi-
mulacra, ab Oratorum coloribus.
Corrumpit, quiſquis unioni can-
dorem, ab arte adjicit. Clariùs ſo-
les lucent in Cœlo, quàm in tabu-
la, quantumvis Apellis. Si ta-
men ad hæc legenda Principem o-
culum demiſeris, invenies materi-
am dignam, quæ Immortalitatis
faſtos impleat & ornet; faciatq; orbi
hiſtoriam, quid ſummæ virtutes in
ſumma fortuna valeant, ſi eis ani-
mus Princeps acceſſerit. Poſtquam
Te hîc videris, plura Princeps non
quære, quia nec ſecula ſimile mu-
nus invenire poſſunt, nec paginæ
quantumvis ultra folium regale cre-
ſcant, ſuſtinere.





Aviſtis Superi!

ferrea hac ætate, habemus ab ævo aureo *RPINCIPEM*; qui ruentia in pejus ſecula ſuſtinet, & ubi omnia remedia defecêre, Ipſe fluctibus quaſi ſcopulus

opponitur. Ea tempestate vivimus, quâ silere jubentur literæ inter arma, tam scribere quàm audire panegyres, frementis procellæ sonitus, non permitteret, nisi ingens Meritum *DVCIS*, de omnium temporum injuria triumpharet. Sublimiùs sacra eminet Tiara, quàm fatum possit assurgere. Præcelsa Mens, omnibus curis altior, Olympi par fastigio, pacem summa tenet. Abstergit lacrymas populorum Tua Purpura *CELSISSIME ANTISTES*, reddis universis vultum, quem tot mala corruperant, omnis dies in Adventu Tuo, lætitiam parit, & hoc primum nostræ felicitatis prodigium est, quòd Te præsente, altum quantumvis vulnus, minùs hodiè sentiamus.

Dominica Lætare Ingressus Principis expectatus.

Heu tempora deflenda magis quàm narranda! Transierāt anni non pauci, quos si ad effusarum mensuram lacrymarum revocaveris, tota malorum sæcula fluxisse credes. Certiùs per clades & funera Civium, quàm per horarum momenta, dies distinguebantur; ex quo Florentissimum hoc Regnum, in præcipitio rerum positum, deteriùs in dies cum extrema fortuna luctabatur. Non singulari certamine, sed agmine quodam in nos fata ruebant, non

Ingreditur post Urbis pestem extinctam.

bant, non

bant non per intervalla cadendum erat, sed 396
continuò, & velut uno ictu pereundum. Alibi sæva tempestas cæpit, sed desijt, & adversa fortuna, velut flamma subsidere solet, antequam novo incendiô erumpat. Tygrides leonesq; licet feritatem non exuant, submittunt aliquando. Apud nos sedem fixisse calamitas omnis credebatur, & ipsa cadentium strages, velut magnarum molium ruina, fuit diuturna.

- - - Quis crimina fando
Explicet, eversamq; fidem, temerataq; jura,
Et populos Regni respersos cæde suorum? Rapinus

Accedebat tot malis gravissimum telum, Vrbis nostræ pestis; ruina, quam nemo agnosceret, nisi jam prostratus, nemo sentiret, nisi postquàm succubuit, Vrbs extra Vrbem abierat, vacuabantur municipibûs domus, implebantur fugitivis solitudines, errabant per compita, atro carbone inusti homines, & diem ipsum funestabant.

Sed fidem date posteri! jam mærorem hesternum, ultra annorum oblivionem abjecimus, omnis qui ante aliquot horas nos exercuit dolor, antiquus est, dum honoris Tui splendore, reddis populis beatam lucem. Sereni-

ùs Cœ-

397 ùs Cœlum Patriæ, ſuam explicat frontem, Te O *MAGNVM LECHIÆ SIDVS*, diẽ accendente. Non memoro effuſum Manu Tua aurum, quo ipſum mortis pallorem lue tabeſcentium, feciſti pretioſum. Parco tenerrimæ verecundiæ, *PROFUSISSIMI* in commoda Vniverſorũ *ANTISTITIS*; ad calculum non revocando munera; quibus, in novæ lucis uſuram, jam laceræ humanorum corporum exuviæ, vocabantur. Majori jam erat ſibi tunc quisq; in pretio, cariùsq; vitam æſtimabat, pro qua cognoverat ipſum Principem, laboraſſe. In hoc vivis *NOSTRÆ INTEGRITATIS SECVRITAS*, ut nobis inter quotidiana pericula non tantùm mori, ſed ne timere quidem liceat. Ipſa naufragia, exercent nos cladibus ſuìs, non involvunt, Te ad Clavum Sacræ Provinciæ Tuæ conſiſtente.

Diu quidem fallebas deſideria noſtra, *PRINCEPS OPTATISSIME*, ſed diutiùs merita Tua. Iam illìs omne Honoris Altum non æquabas tantùm, ſed excesseras, & adhuc ea, gravi ſupercilio, infra Teipſum deprimebas. Quæcunq; in Te occurrerent, digna lucis auge ſuprema, videbamus; Tu Solus, ita oculos in alienam Virtutem converteras, ut nihil in Te,

Ingreditur post vacantem diu Episcopatum.

præter

præter latendi deſiderium, invenires. Verſabatur in omnium obtutibus, Generis Claritudo, quâ adorata Mortalibus Numina contingis; unum pro cunctis ſideribus Solem refero, *SERENISSIMVM MICHAELEM PRIMVM*, in quo Regni Noſtri diadema, & *DVCVM WISNIOWIECCIORVM* Mitras, Tibi colligaſti. Occurrebat Mens ſummis par Inſulis, Ingenium Doctoris laureâ ſublimius, Animus Regni negotijs limatiſſimus, conſcientia, quæ ſola fidiſſima eſt Virtutum interpres, vocabat Te tanquam Principum futurum exemplum. Omnium calamos fatigabat, occupabat, omnium linguas, Indefeſſæ Pietatis Zelus, unum erat omnium ſuſpirium, unum votum, una vox: O dies plumbeos! O invidos noſtræ fortunæ annos! O pigram ſemper in mortalium vota felicitatem! Tanta vis, còégiſſet ad purpuram ipſum etiam Romanum Pertinacem; Tu contra hæc omnia modeſtiam opponebas; quæ procul dubio viciſſet, niſi publica neceſſitas apud Te peroraſſet. Admiſiſti ergo Inſulam, cum quâ totum curarum orbem videras Tuo Vertici imponi. Suſcepiſti Ducalẽ Mitrã, quæ magis gravaret frontẽ, quâm ornaret. Sed parce dictioni; non premunt Te pro noſtra integritate admiſſæ in ſinũ ſolicitudines, ſed

attol-

attollunt: ſicut non dehoneſtant Divorum Aras, appenſi in tabulis dolores noſtri, ſed illuſtrant. Illam enim Auguſtæ Menti Tuæ optimè convenire Honoris Orbitam exiſtimas, quæ majorem apud Te ſphæram aperit, neceſſitatibus ſubditorum.

Affabilitas Principis. Vix Emerito *CAPITI*, Principem Infulam intuleras, ſtatim cogitationes omnes in univerſorũ cõmoda impendiſti. Primus Tibi labor, laborãti ſuccurrere populo, cujus cladibus Ipſe atteri, mortibûs pallere Ipſe, videbaris. Stat Atrijs Tuis affuſa plerumq; miſerorum multitudo, ſed neq; diu ſtare illam ad limina permittis; rectum eſt omnibus, ab aure Principis in Cor, iter; audiri ſupplicum vota non poſſunt, quin ſimul exaudiantur. Excludis neminem, Te nemini negas, alieno negotio ea facilitate Te impendẽdo quaſi Tuum foret. Singulos ea abſolvis inconcuſſæ mentis æquitate, ut etiam rei, cum ad Tribunal Tuum cauſam perdiderint, inveniſſe ſe juſtitiam fateantur. Eâ tamen humanitate temperas ſeveritatem Iudicij, quam vereri improbitas debeat, probi non poſſint non amare.

Indictæ ſupplicationes, le- Quia verò alta mente defixum habes, Superûm cultu, res humanas conſtare, & feliciûs pietate quàm viribûs adverſa defendi; in

com-

communi hac Regni procella, ad Divorum Aras, velut ultimam in naufragio tabulam, confugisti. Indixisti supplicationes populo, jejunia imperasti, sed non imperasti tantùm, priùs omnes exemplo, quàm imperio præcedebas, existimans debere summum esse virtutibus, qui est maximus imperandi potestate, statuta nunquàm sanctius servari; quàm cùm ea vitæ exemplo fulcit, qui promulgavit. Hinc Ducales Mensas, quas plerumq; mortalium luxus infamat, Tu in amplissimum Virtutis theatrum consecrasti. Statutis à Te abstinentiæ diebûs; ita eas ad omnem componis sanctimoniæ speciem; ut altaribus similiores videantur, in quibus nihil libatur, præter Cererem. Vidimus aliquando inter epulas integra vorari patrimonia, absumi Regna: inter Principis nostri dapes, sola Regni pericula; pro quibus Deo tam arcto litatur jejunio, absumuntur. O pietatem non orbibus mensarum, sed Orbi universo proponendam! O nullo satis cratere extingvendam Boni publici sitim!

Jejunia, quæ Ipse Prīceps observat strictissimè.

Quâ veró morum suavitate, quo eruditæ dictionis nectare mensas Tuas condis, prætereo. Adsunt convivæ prandijs Tuis, & putant se ad Lycæum Sapientiæ vocatos. Cum Principibus de Imperij Felicitate, ampli-

Mensa Principis erudita.

tudine

401.

tudine, progressu; cum Sacrorum Antistitibus, de Orthodoxæ Reipublicæ conservatione, cum Eruditis, de rerum eventibus, cum omnibus, ea tunc facilitate, ea rerum peritia, eo rationum pondere discurris, ut magis ab Ore Tuo pendeant universi, quā ab exquisita quantumvis librorum dulcedine. Pascuntur corpora sed hoc etiam Vitellijs commune, pascuntur à Te animi, & hoc Angelici palati cibus est. Dividuntur dapes, & Tu interìm cum orbe cogitationes dividis. Alia Tibi mensa non arridet, nisi quam *MAPPA MUNDI* adornat. Ita omne momentum sacrasti dignis æternitate occupationibus, ut ne hoc quidē, tempore quo vires reficiūtur, laxari permittas erudita negotia. Remittis aliquando animum, ne frangas, at nunquàm solvis. Et hæc prælibare tantùm calamo nostro licuit, jam à mensa Principis in atria virtutum imaginibus plena secedat Oratio. Dignare Principe Oculo, quæ rudis denigrat penicillus. Vmbrarum more imitamur Colossum non attingimus. Quidquid tamen hìc spectabis, *PATRIÆ, RELIGIONIS, UNIVERSORUM FELICITATIS CAPUT PRIMUM* est. Iam ergo ordior à *CAPITE*.

CAPVT

C A P V T
In Mitras & Infulas Divisum, Propè Eminentissimum.



Fronti Majora parantur.

P*Aucis affines trabeas, & vellera Regum*
Nosse datum. Consanguineos trahit, URUS honores

Ex cunis. Remeant uno de fonte Tiaræ
Et cruor Illustris. Quævis hîc gutta Senator,
Ac Patriæ Pater. Est quoddam hoc in vertice Regnum,
Sed vulgus nemo; stringit quia fascia fasces.
Quid meritis fortuna paras? si Gloria tantùm
Augusto debet Generi? gravat Infula crinem
Et PRINCEPS Diadema volat per cornua, Major
His tamen est Virtus & PRÆSUL. Maxima moles
Parva Tuo *Capiti. Quidquid sublime putatur*
ŁVBIENIO *minus est. Sonet altùm Classica cornu*
Ad titulos POMIAN. Fronti Majora parantur.
Et meriti veniunt, Latia de Nube Galeri.

HVc aurea extra fabulam Saturni Ætas!
Ferrum,
Quod in Illustrissimo ŁVBIENIORVM
defigitur Capite,
Toto seculorum pretiô pónderandum.
Publicæ hoc est felicitatis
Immortale Instrumentum.
Et in hac mentis officina, Cui nobiliùs,
Quàm gemmeâ Darij vaginâ
conditur,
Semper cuditur Patriæ securitas.
Hic per ipsa vulnera,
Nascitur Integritas Populorum.
Hoc verò ILLVSTRISSIME ANTISTES,
Domûs Tuæ Elogium est;
Quòd, cum digna aurô faciatis singuli,
Etiam
Ferrum Vobis pro Patria, pretiosum.

Divide, divide! amplius, Avitam Frontem
Triumphalis Mucro! 404
Et vel in tot partes, cæde
Caput Emeritum.
In quot olim
Cracoviensis Antistes & Martyr,
Sectus est.
Quot illustria numerabis fragmenta,
Tot apices surgunt, ad Coronam.
Per Ducales Mitras, Infulas Antistitum,
Dividitur hoc Caput.
Et quidquid in Te CELSISSIME PRINCEPS
Ad invidiam Seculorum est,
Coronandum est.
Certant de emerito vertice Tuo Honores,
Et quia Tuus est, & quia solus.
Ipsa Cornua,
Vocale famæ Classicum instruunt.
Gladius Arma suppeditat,
Tota belli ratio, Victoriæ præmium,
Laurearum meta,
Supremum Caput Tuum attigisse.
Infula trudit Infulam,
Et Vitta præcipitat Vittam,
Vt hæ, Augustam Frontem Tuam
Coronent.
Illæ, etiam pedes ambiant;

405 Et Suprema illis ambitio eſt,
Inter Tua decora numerari.
Alta Cicatrix Avitæ Fronti impreſſa,
Ex qua, plùs Gloriæ manat,
quàm Sanguinis,
Indelebilis Honorum Character eſt.
Fuſus inde cruor,
Tot Lechicas tinxit Purpuras,
Propè eſt,
Vt Tibi tingat, etiam Romanam.
Et Caput,
Quod jam Celſiſſimum in Te Magno PRINCIPE
Suſpicit Polonia,
Adoret Orbis Eminentiſsimum.
Nimirùm
Plures Tu facis, per ingéntia merita,
paſſus, ad vittas,
Quàm ad vitam alij.
Non ego hîc ternum adduco
Sublimis Diadema Vavelli,
Quod, in tanto rerum turbine,
Et
Fluctuantis Regni totius, procellâ
Inconcuſſa mente ſervâſti immotum,
Indefeſſus tot annorum
Epiſcopatûs Cracovienſis.
ADMINISTRATOR.

In illo

In illo bellorum æstu,
Quo totum fumavit Regnum.
Triplex Craci Corona
In Tuæ Frontis luce
Suam legebat serenitatem.
Difficilè est etiam unam Honoris
Auream cyfram
Immoto sustinere vertice.
Hæc apud plerosq;
Modò decus, modò nihil.
Augusto Capiti Tuo, Triplex Corona
Securiùs quàm Atlanti Cælum
incubuit.
Non retexo Tribunalitiam Lublinensis Cervi
Coronam,
Quam, incorruptæ mentis candore,
Nobiliùs gemmîs serenâsti,
IVDEX Regni DEPVTATVS.
Avitum Insigne Tuum
Omnibus CAPVT Bonæ Spei
effecisti.
Et scelera, nullum magìs timuêre fulmen,
Quàm
Gentilitium Gladium Tuum,
Ex ore, contra se vibratum.
Altissimo tunc Iudicio Tuo,
Ominabantur non è vano, plurimi.
Quia
Futurum esset brevi, Celsissimum.
Quod contra sontes,

Severo ſupercilio armaveras,
Magnum Augurium erat, Ducatûs Severiæ.
Non hîc reliqua, Emeritæ Frontis Tuæ
Decora, enumero;
Anguſta eſt illis arena,
Leve eſt hoc folium,
Quibus
Honoris templa ampliâſti.
Malè unius libri margine arctantur
Magna Nomina,
Quæ ad poſterorum memoriam
Ipſius Immortalitatis tabulis, impreſſiſti.
Taceo Heracleenſem, Chełmenſem Inſulam,
Quam
Jlluſtriſſimi Capitis Tui acceſſu,
Primum eſſe feciſti Gradum,
Ad prima Regni Noſtri faſtigia.
Neq; verò
De novo veniunt Tibi Mitræ,
Sed redeunt tantùm.
Et quem olim, ore ſuo prætulerat annulum
Jlluſtriſſimus Pomian,
Hodiè procudit Tibi, in Coronas.
CASIMIRVM ſemper PRINCIPEM
Adorat Polonia,
Et ŁVBIENSCII ex Avito CAPITE
Semper habuêre jus Gladij.
Placuit verò Superis,
Vt Illuſtriſſimum CAPVT Tuum,

Ad Infulas secundum esset
à STANISLAO Antistite;
Cui Tu, præcellsæ Virtutis Eminentiâ
Prima omnia revocâsti.
Vacabat quidem diutiùs Celsissima Sedes,
Sed nunquam sine Tuis Meritis
& Virtutibus.
Solùmq; tunc meritò se vacare vidisset,
Si se Magno Antistite vacuam advertisset.
O quantùm laborant plurimorum Capita!
Vt illis sudoris guttæ,
In gemmas Vittarum concrescant;
Tibi satìs fuit ad Ducalem Mitram,
Tantis non renunciare Nominibus.
Illud Vnicum pace Tuâ dixerim
Contra Tuum Caput,
Quòd
Nullâ satìs Infulâ, possit contineri.
Hinc, faciliùs est illi, mutare Mitras,
Quàm alijs breve decus, flores,
Quibus se coronant.
Non claudo Honori Tuo Elogium,
Quia
Et Avitum Caput Tuum
Omnibus Tiaris apertum est.
Et
Ducales Mitræ
Quantumvis in Orbem volvantur,
Meritorum Tuorum Immenso
Non ponunt ultimam periodum.

409

C A P V T
Mentis Aureæ.



Effuso mens est opulentior auro. Lucan.

FElices miserûm turbas, oculisq́; disertum
Ac humeris populum! Cræsus non ditior illis,
Quêis PRÆSUL Pater es. Vultu quamcunq́; tueris
Sol,

Sol, hominum glebam, memori pinguescit obryzo,
Et veteres ridet lacrymas. O ære redemptas,
Venalis virtutis opes! o flumina dotis!
Obturas gemitus nummis, rabidamq; querelam
Aurato cicuras sistro. Singultibus echo
Eripitur, tacito PRÆSUL dum perstrepis auro.
Aurifodina CAPUT: fluit ingens copia cornu,
Quæsitis sudore opibus, probitateq; censu
Aucto. Sic vitrei, posito moderamine Regni,
Pallentes Neptune spuis per littora gemmas;
Nileq; tu pariter morientia vota Colonûm
Arentes herbas reficis. Sic PRÆSUL, egenis,
Dives es, & proprios ferrum vix servat in usus
POMIAN: Effuso sed mens opulentior auro.

ORdior ab auro,
hoc est;
à luce, quâ supplicantium gemitus serenas,
& in horas, diem dicis Tuæ Munificentiæ,
Pretiose Antistes.
Aureæ Mentis Caput,
nonnisi Lingua Chrysostomi loqui potest.
Quantumvis in sublime volent Oratorum pennæ,
nisi Tagum despumaverint,
infra sua jacebunt vota.
Gratiarum auxisset numerum vetustas,
si illâ vixisses.
Immortales gratias mereris;
dum mortalitatis humanæ Domicilium tumulum,
liberali manu attollis,
Divinissimo IOANNI CANTIO.

In Mausolæû D. Cantij, munificû se exhibet.

Si non

Si non parca, in Cælites, pietas occumberet,
ambiret non aliâ recondi urnâ.
Immò,
Tua beneficentia nunquam emoritura,
Sarcophago vocabulum negat.
Ære multo parentâſti Cineribus Sacris,
& ſimul apud Te, grande funus eſt illiberalitas.
Ipſe lapidis candor materiam dedit Mauſolæo,
non atro notandam calculo Tuam liberalitatem imitaturus.
O beneficẽtiſſimũ, Tanto Lechiæ Indigeti, amorem!
ſuo ille non contentus pectore;
ſaxea montium viſcera ſcrutatus, exhauſit.
Sub gravi munificentiæ Tuæ pondere,
quotidie deſudant marmora.
In hac marmorea monumenti tabula,
Diſcant Univerſi:
quám ſaxeum Te exhibeas parcitati.
Iam ſepeliat oblivio Mauſoli tumbam,
unum è pluribus mundi miraculis!
ſi plura prodigia, in uno Divi CANTII buſto, Cracia oſtentat.
Suus Tutelaris, à Sanctitatis, & Sapientiæ fama,
prodigium eſt ſeculis;
Tu utrumq; moribus, & liberalitate, aut cõplecteris,
aut addis tertium.
Quanquam aſſiduitate ejusmodi beneficentia miraculum eſſe
deſineret;
niſi prodigio majus haberetur,
in ſanctimoniam, Te aliquando exſtitiſſe illiberalem.
Nec mortuale iſtud ſaxum,
terminalis aſſurgit lapis munificentiæ.

Beneficum

Beneficum aliter præstare Te non potes:
nisì unius favoris, alter prodromum agat. 412
Summum est, ac Tuum;
Superûm esse Mecænatem.
Munera confers Superis,
& ipse quantum munus superûm es?
Chełmensis Purpura Te adornaverat,
Tu magis Purpuram;
à cujus luce, etiam templa vidimus radiâsse.
Sacrum indutus muricem, voluisti:
ut Regi Seculorum, in trabeis, ad aras litaretur.
Aperuisti ærarium;
(si hoc claudi sinit sanctior prodigalitas,)
Ipse olim dignus altaribus,
augustâ supellectili Chełmenses aras ditâsti,
& ille es, à quo pretium sumit probitas.
Auro bibitur Divinus Sanguis,
& Regnum Superûm;
Vtriusq; pretiosam accendisti sitim,
nullo magìs flagrans desiderio:
quàm ut præ Cleopatra splendidiùs,
suos Convivas tractet DEVS.
Exoptas Pactolum affluere;
ne viliori metallo, innatet Divinitatis vena.
In Frumentum Electorum munificus,
uberrimam gloriæ messem nullâ non colliges ætate.
Cereri Sacræ, donati orbes aurei,
munerum tuorum æternitatem, ambitu suo complectuntur.
Proindè,
Neq; nos finem dicendi facimus,

Chełmē-sem Ecclesiā supellectili sacrā, locupletat amplissimè.

de Tua Munificentia,
quæ perennis eſt.
Expendis tantùm plurima in egenos,
pretioſi Seculi PRINCEPS,
non numeras;
quid vocemus ad numerum encomia Tibi debita?
Augetur ſemper tantùm divitis gloriæ Tuæ,
quantùm minuitur theſauri.

Parthenonibus ſacris nomẽdaturas dotat.

Te Sacerrimo Mecænate,
nec Virtutum cenſui obeſt rerum inopia.
Dotâſti famulaturas DEO animas,
nunquam divitiarum mancipium.
Præcordijs fovent ſanctiora incendia Veſtales,
quibus Religionis ſtudio, nummorum ſubſidio,
Te Numam exhibuiſti.
Jam attolle oculum PRÆSUL,
quô adeò deſpicis opes!
Maximis non minor Mecænatibus,
turrium faſtigijs Te metire.
Polonia diſsidiorum auris agitabatur,
toto flavit Euro ſubita tempeſtas.
Opinabamur, Cælum ſuſpiria jungere lugenti Patriæ:
ſed majores lacrymarum imbres excivit ventus.

Turrim Eccleſiæ Cathed: Cracov: turbine dejectã, ſolicitudine Paſtorali, & impẽſis reſtaurat.

Sacram Vavelli Turrim,
Sacrilegus turbo evertit.
Tanta moles ſuum deſpectabat verticem.
O ruderum, ô dolorum cumulos!
Nubibus vicini apices,
humili pulveri ſe permiſcebant.

Tu

414

Tu potiſſimùm ruinas propiùs admoviſti cælo,
quòd neſcias humi repere,
beneficiorum Tuorum magnitudine.
Conſtat optimè longas Principum eſſe manus,
dum argento gravem dexteram ad Templorum culmina extendis.
Ad hæc, quot oſtia favori Tuo reſerâſti,
ubi auream portam Roma panderet?
Cùm Orbis Capite, liberalitate certare libuit,
acſi patritias Ceras, ideò Caput inſigniret:
ut reliquis, pretioſæ mentis faſtigiô, emineres.
Annô Indulgentiæ,
nihil tenacitati indulſiſti.
Exiguô tempore.
tantùm in pauperiem erogâſti;
ut aurea ſecula, in unum coarctares diem.
Sancti nomen, annus ille meritò ſibi adſcivit,
quo maximum Fortunæ crimen, indigentiam, abſolviſti.
Cùm pænitentium artus tegerentur cilicio,
nummos ſacco ſqualere cenſebas improbum.
De Fortunæ Tuæ damnis,
felices fiebant, quoscunq; ſors deſtituit.
Antevertiſti egentium vota.
Singularis erga inopes benevolentia reduxit ætates,
quibus, Saturnij Templi æraria, communes erant cenſus.
Locupletâſti peregrino veniētem è ſole pauperiem,
in Patria beneficus, ultra Patriam.
In advenam egeſtatem benevolus,
benevolentiam in miſeros feciſti domeſticam.
Induiſſe Purpuram videris;
ut centonem Irus exuat.

Pauperes etiā advenas curâ liberaliãs are ſuſtētat tempore Jubilæi.

D Ne Pau-

415.

Ne Pauper iaceat ubiq;
Præsuleo sedisti Solio.
Scipionem argenteum utrâq; manu stringis,
labentia populorum commoda suffulturus.
Te Fortunatus grex,
Agno Iasonis aureum non invidet vellus.
Verè inopum Pater,
fabulosum Numen Fortunam è fabulis deles.
Occultæ egestati, occulta succurris stipe,
satìs publicum arbitratus,
quòd Superos non lateat.
Hominum indigentiæ Te profuisse,
Aviti Capitis mente nunquam retines.
Plumbeâ nostrâ ætate,
aureus dicereris Antistes;
sed aurum in miseros jacis:
nè sibi Te similem sonet.
Omnium sanctè prodigus,
ne quidem pretium nominis Tibi vendicas,
attamen ipsa Dearum tenacitas Parcæ,
Liberalem Te agnoscunt.

Peste infectis se munificentissimum præstat.

Pestilenti afflati àëre, animam populi efflabant.
Solitaria non incedit extrema calamitas.
Contagio fames accesserat, egestas utriq;,
quasi non sufficeret uno malo interire mortales.
Cæcæ invisi Fortunæ,
cæcæ placebant morti.
Facultatibus, & vitâ spoliati Parentes,

solius

ſolius indigentiæ, atq; ærumnarum heredes relinquebant. 416

Illuxiſti beneficum Sidus,
Vmbras hominum vix referentibus.
Detonante Superûm irâ,
aureo nimbo, & gemmis illacrymatus es contagioſæ cladi.
Dicebas tunc, nec dicebas tantùm.
Cadaveribus, innato pallore aurum concolor eſt?
vivis funeribus exinde cedat.
Æternitatis pelago ſe committunt, Villæ, Oppida, Vrbes?
ſolvendus Portitori naulus, ijs non deſit.
Si Libitinæ ferrum ſaxo hebetari poſſet,
adamantibus obtunderem.
Quot non depromerem dona,
ſi lenirentur fata largitionibus?
O vitæ, non opum avaram mortem!
Nec Parcæ, Tua deſpexiſſent donaria,
ſi non cæcutirent.
cæcutîjſſent lynceæ,
oculum feriente munificentiæ radio.
Grande arcanum tunc innotuit,
liberalitati nihil peſtiferam luem nocere.
Minimè appetens clarioris famæ,
illuſtria beneficia ſepulchralibus tumulari volebas tenebris?
intereà non indigos luminum theſauros,
mortuales prodebant umbræ.
Porro, ampliſſima beneficentia,
in una pagina ſi poſſet circumſcribi:
ingentibus faſtis majora,
breviori concluderemus elogio.

417

Habent pleriq;
in Tuo Gentilitio Capite,
Fortunæ ſuæ Capitolium.
Ad vultum, & aurem, admittis ſupplices,
non deprimis ad plantas.
Partiris Te miſeris,
& Avitum CAPVT gladius diſſecat:
ut reſeret oſtium menti aureæ.
Ferrea neceſſitas pauperum, ſe Tuæ infixit cogitationi,
aurum occupat manus.
Argentum & aurum elargitus,
ferrum duntaxat reſervas Tibi.
Nihilominùs
Timete ferrea ſecula!
etiam ferrum hoc, contra vos militat.
TVO CAPITE
Munificentiſſime Antiſtes,
Omnem adverſi fati ictum, excipis;
ut vel ſic, egeſtatem tuearis.
Inopiâ laborantibus tantum dediſti:
ut grati animi ſemper futuri ſint debitores.
Tantum impertitus es Cælitibus
Superûm Creditor,
ut cælum ſuum ſenoris loco Tibi debeant.
Hæc beneficiorum Tuorum
necdum tamen laudis Tuæ,
Summa eſt.

CAPVT

C A P V T
Athenæ Orbis.



Hoc mallet Pallas de vulnere nasci.

I*Ngentes animos, 'magnis dant Numina, rebus,*
Et sortis, meminisse jubent; Tibi grande Minervæ
Imperium, fecère Dij; Mundiq; Lyceum
ŁVBIENIVM *posuère* Caput. *Nec vota Deorum*

Irrita: Sarmaticis, spatiari Græcia campis
Creditur; & veteres rediisse putantur Athenæ
Tecum; Nempe, Tuis, resonat seû Curia dictis,
Seû rerum Cardo, supplex, oracula poscit,
Jam Delphis responsa silent, ipsumq; Tonantem
Attonitum pallere facis, stupuisseq; Consum,
Et Phæbus, quod discat, habet. Non simplice serto
Præsuleæ viruêre Comæ; dum grande repexas
Ceû quercûs Dodona, parit sapientia frondes,
Laurigerosq; Tibi, præceps metit ensis honores,
Cui Caput, *est Orbis Doctor, Studijq; theatrum.*
Nec Patrium mirare Decus *sine corpore: Tanto!*
Non fuit Ingenio, par Corpus. Laurea frontem
Obsidet; ac celebrem reserat Frons læsa Palæstram.
Euripo, suadâq; fluit, non sanguine POMIAN
Ictus; & Hoc mallet Pallas de vulnere nasci.
Armavit mucrone Caput; *sed acumen habetur*
Acriùs, in promptu. Totum, quod cogitat, altum est.

Vilescis Magistra quondam orbis Græcia,
Suæ Polonis, etiam in ŁVBIENIORVM CAPITE sunt Athenæ.
Quas Ducalis mucro
In ipso vulnere, latiùs centum Thebarum portis,
æternitati aperuit.
si non potiùs Gradivi ensis hic est,
Qui, ut in hac ageret palæstra discipulum,
se hîc exarmavit.
Hereditas quædam ŁVBIENIIS est Scientia,
In avitum quoq; hi, CAPVT succedunt.
Parum illis est, peregrinam exhausisse Palladem
Domi habent, undè Orbem erudire possint.

Extra

Extra Romã hîc, omnes Tullij, Catones, Hortensij.
Deniq; tales,
Qui Tibi cedant uni,
PRÆSUL JLLUSTRISSIME.
Singulos in compendio, dum Te, dixi;
à nullo satis laudandos,
Absq; Tuo CAPITE.
At, quantus ille Atlas!
Qui tantum ferat verticem!
Experìri Nobis plura & sentire,
Quàm loqui de Te licèt.
Et quidni tantus modò sis?
Qui, Solis more
Statim, ac Musis illuxisti,
Æqualis Tibi eras.
Vix Te Magnus, ultra infantem, spiritus dilatavit,
Palladi Te dicas.
Experimentum scilicet cupiebas,
An esset, quod etiam tunc nescires,
Discendi celeritate, finem principijs confudisti,
Dubiumq; fecisti, an aliquando inceperis.
Tanta sunt à CAPITE ŁVBIENIORVM etiam exordia.
In pelago Scientiarum, vix Classes conscenderas,
Jam Clavo dignus eras.
Si Classes erant, non onerariæ
Quibus Tu ingens thesaurus accessisti.
Sacrata eloquio Tuo Rostra, Tullius ipse profanaret,
suumq;. ipse Aristoteles à Te sitiret Eurippum.

 Adeò

Adeò,
Quod tàm latè, in CAPITE ŁVBIENSCIORVM hiat vulnus,
Porta est Scientiarum triumphalis,
Nec vilibus illud herbis,
Sed aureo Iagellonica Musa manipulo coronabat.
Et quidni hunc decoraret verticem,
è cujus vulnere, citra fabulas revixit.
Post exhaustam Poloni Vistulæ Sapientiam,
Tyberim navigas.
Et certè
Orbis integri CAPVT esse debuit,
Cui Tuum inclinares.
Si non potiùs etiam discendo,
magistram erudiebas Romam.
Divinam illic Scientiam,
Divino ingenio, Diviniorem se ipsâ fecisti.
Abyssus alijs, non Tibi THOMAS.
Cuius arcana omnia,
Claves Tibi reserârunt PETRI
Omnes, aviti Capitis Mucro, solvit Nodos,
Licèt non Alexandro,
tamen Magno.
Vnum olim diadema, visæ in vertice flammæ, portenderunt:
Tuo CAPITI, Sol inclusus Aquinatis,
Quot Infulas pollicetur?
Fabricatum à Magno Alberto Caput,
prodigium fuit,
Quia nonnisi THOMAM salutavit:
Tuum, an prodigia ipsa non superat?
Quòd illum sibi domesticum habet.

Studijs Theologicis impēdit operā Romæ

Cùm de

Cùm de Summo loquereris DEO,
Hominem excessisse credebaris.
Cùm de Verbo Incarnato,
Vox hujus Verbi, hoc est, quo Major nemò, eras.
De Te dicere videbaris,
Cùm de Angelis disputabas.
Nisì quòd morum Tuorum gravitas,
leves alarum plumas excluderet.
Adeò verò altè Gratiam animo impressisti,
ut eam, in omnes beneficus, nunquam dediscere possis.
Non Te Nobis, jam Romæ statutum fuit, restituere,
Nisi ei de Iustitia locutus,
Te Nobis debitum, ipse persuasisses.
Si deberi Nobis potes, quibus ultra omne meritum es concessus.
Toties in Theologia Victori, arena
Victricē Tibi Lauream porrexit Roma triūphatrix.
Ipsumq; Orbis Caput,
Quasi par sibi, Tuum judicavit,
Dum, suâ coronavit Lauru.
Nec, magnam illo, vidit.
Si Laurus non vinculum erat,
Quô Te, Romana, sibi, detinebant vota.
Hucusq; gaudium suum, suprema PETRI Cathedra, non concipit
Pro Te Discipulo.
Pronus in gratias Poloniæ, Annulus volvitur Piscatoris,
Pro Te Gemma.
GREGORII verò XIII.
Supremâ manu, erectum
Ignei Patriarchæ Collegium,

Doctoris Theologi à Laureâ insignitur in Collegio Romano

F Quod,

Quod, Tuis Laureis coronâsti,
Totis, Tui desiderio, flagraret incendijs,
Nisì ea nunc,
ex moderni Honoris Tui gaudio fusæ lacrymæ, temperâssent.
Sic tamen,
ut, grati pectoris ignes,
Recentissima Tui hucusq; memoria, & admiratio, semper alat.
Sequi Te abeuntem, Roma voluit,
Cùm nuper, subitò telluris motu, concussa est.
Quæ, olim
sub Tuarũ pondere Virtutũ, nescia mori, quiescebat.
Non diù, Te Italiæ concessisti,
Nè illam de Te, longiùs commodato,
Nimiùm Poloniæ obærares.
Licèt,
Nec brevem Tui conspectum, si cõpensare deberet,
Posset Roma.
Recepit læta, grande hoc in Te, Patria depositum;
Cujus, ut pretium ostenderet,
Eâdem, quâ suum Diadema, in Vrbe ponit.
Nec meliùs,
ŁVBIENSCIORVM locari potuit CAPVT,
Quàm
ubi, coronata Regni sui pretia, Polonia collocavit.
At,
Parùm Tibi, terris fovere sapientiam,
Cælo quoq; receptam, elevâsti.
Loquitur Te
tota perennis gloriæ messis, in unum Jagellonis manipulũ collecta.
Divinissimus IOANNES CANTIVS.
Cujus Sacerrimos Cineres immortales pænè fecisti,
Dùm aureâ manu, Cælo propiùs admoveres.
Quasi Divis etiam apud Te prodesset,

Sapientes,

Sapientes, hoc est, Tibi similes, fuisse. 424
Amamus jam Nostra infortunia,
Quia Sapientissimum,
Hoc est,
Te, Nobis PRÆSULEM, promittebant.
Invidus, Arcem fortissimam, Vulcanus absumpsit;
Quasi, absq; hac,
satìs in Te præsidij esse Vrbi ostenderet.
Ivit in cineres, ille Phænix ædificiorum,
(Avium figuris, ornatam, loquor ædem,)
Seù
Quòd, secula jam se vidisse putaverit,
Cùm Te vidit.
Seù,
Nè coronata hæc Vrbs, binos haberet Phænices.
Vnum, in se, Palatiorum,
Alterum in Te, Præsulum.
Suum tamen, Vavello Capitolium
(insigne simulacris Capitum, est Conclave)
Prudens flamma reliquit.
Quasi, pænam Tui Ensis metuens,
Si, Capitum famulitium,
Tuo CAPITI non providisset.
Quantus enim es?
Cujus,
ut tot Capita, dignitatem conciperent,
Totis illa incendijs, illustrari oportuit.
Loquitur hanc Tuam Sapientiam,
Quasi aperto ad Cælum ore,
Insula Cracoviensis.

Audiunt Sidera Tuum CAPVT,
Et habent, quod diſcant.
Contrectatus Manu Tuâ, Epiſcopalis baculus,
In Mercurij abit Scipionem.
Fictæ tamen in hoc diſpar Virgæ,
Quòd,
Illa, clauſerit,
Hic,
Omnium oculos in Te, corda, Tibi aperit.
Perorant omnia verticis Tui decora,
Congeſtas, Orbis integri ſcientias coronatura,
Si ea ſingulis partiri velles.
Plura illa, in Te,
Numinis Vicaria in terris poteſtas demiſit,
Seù,
Quòd ultro erumpentes ad Te Honores
Continere non potuerit;
Seù,
Quòd tanto CAPITI,
Vnius Inſulæ decus non eſſe par, ſciret.
At
Cùm ſic Te honoret Romanus,
Neq; Tuus Cracovienſis tacet Petrus;
Atq́; Tuo CAPITI,
Quód in Vrbe decoraverat,
Hic applaudit.
Sequitur ſuus Petrum, Comes Paulus,
Tantusq́; Gentium Doctor,
ſe Tuo regimini ſubijcit.

Et quidni subiiciat?
Cuius, toties hospitis magnitudinem,
Vas hoc electionis mensuravit,
Nunquàm cæpit.
Cælestibus deniq; linguis
(Stellatos in Vrna cineres intelligo)
Te prædicat
IGNATIUS.
Et
Cùm hic, Doctorales non foveat Laurus,
Martialibus olim suis,
Tuum coronat Caput.
Admittent erudita tempora,
Etiam Gradivi hoc munus;
Quæ Gladium intrà se admiserunt.
Comitatur suum Ducem,
Societas minima,
(si minima dici potest, quam tot beneficiorum capacem effecisti)
Majùsq; seipsâ
Tuæ mentis defert pretium;
Alijs
Tui Capitis laudem relinquens,
sibi admirationem.
Verùm
si nec illam satìs expressit,
supplebunt
Domesticæ ŁVBIENSCIORVM Athenæ,
CAPUT.

CAPVT

427

Sole extero majus.



----- Nec DE SUMMIS, contigit ulli,
Hoc, PARVUM, vidisse CAPUT. Cl.

EN, si Romuleam PRINCEPS aspexeris Urbem,
Te, velut Exemplar, Mundo Natura creavit,

Te,

Te, quæcunq; graves, flexisti ad Mænia passus,
Innumeri populorum oculi vidisse studebant,
Sed vidisse parum. Comites ivêre stupores
Tecum: Fama satelles erat. Nil grandiùs, URI
Patritij vultu, Romana theatra ferebant,
Inferiùsq; Tuô, se vertice, censuit Orbis
Jure CAPUT, cunctis statuens præferre Bisontem.
Quantùm Te Latius! quantùm Te! vidit Aquinas
Titan? Immensum, septem cum collibus URUM
Aspiceret, Patrioq; Domum discedere Cœlo
Et Lechicum præferre solum, Latialibus Astris.
O! si Zodiacus, (Sol dixit) tale tulisses
Signum; perpetuâ Nobis statione tenendum!
Hoc mihi pro cuncto radiasset sidere Sidus,
Fulgeretq; meus POMIAN, cum grandibus Astris.
Fleverat: & toto Tyberis sua damna fluentô
Plorat adhuc; sic nec de summis contigit ulli,
Hoc, parvum, vidisse CAPUT.

Assurge

Vltra domesticum Carpatum Polonia:

Peregrinatio in exteros Celsissimi Principis.

Magnus Antistes Tuus

In Orbis totius commoda sacratus esse conspicitur.
In uno hoc Tui Cæli sidere,
Soli extero invidiam accendisti.
Quid enim? immensa virtutis moles, patrio coarctaretur Arctico?
Orbis sit necesse, qui gemmam concludat.

Viderunt Te Celsissime Princeps,

Peregrini Soles, sed ut adamantes intueri solet Mundi oculus, à quibus, plusnè lucis accipiat ipse quàm effuderit, dubites.
Avitæ Frõtis decora, in Vrbẽ Orbis Caput intulisti;

palàm faciens
Et Lechiæ Capita, bene Latio convenire Capitolio,
429 Et Tuæ mentis amplitudinem,
Mundi theatro.
Heu dolendam sæpe vicem!
Plurimi ita, extra limites eunt Patrios:
ut simul, extra recti orbitam procedant.
Sulcantur alieni Maris littora,
ut Patritia, cum fortunis pietas mergatur.
Franguntur in scopulis Licentiæ,
cum moribus Patrimonia;
Et veluti post fractas tabulas, sola, Domum revehuntur
pretiosa naufragia.
Tu diuturno à Patria recessu,
Nihil à prima integritate morum, discessisti.
Toto Cælô dividebaris, à Tuis Penatibus,
sed à Pietate, nè latum quidem in unguem, distabas.
Ab Alpibus, ad quas oculos amisit Annibal,
integerrimam mentem retulisti.
Quacunq; iter ageres, omnem virtutum semitam,
laudatissimis implebas exemplis.
Ibas per populos,
Noscēdus ipse magìs, quàm rerū notitiam habiturus.
Præcurrebat, Nominis Tui expectatio ubiq;,
priùsq; Vrbes, quas invisere placebat, inibas Tui Famâ
quàm impleres præsentiâ.
Hinc,
Vbi alios, exterarum Vrbium, Molium, detinent spectacula,
Tu novo, exteros, Tui spectaculo, tenuisti.
Relinquebas Regna, Provincias,
sed magìs, Tui desideria,

Quàm profundè verò,
Tuæ æstimationis, alieno solo impresseris vestigia,
Palàm est.
Nulla hæc delebit vetustas, obliterabunt fata,
Edacissimum quantùmvis rerum Tempus
consumet.
Legimus illa hucusq; in Purpuratorum Literis,
Et ipsi characteres, quos Tui meriti dignitas attollit,
cernuntur eminentissimi.
Cardinalis Barberinus,
Primã, collatæ Tibi Insulæ Heracleẽsis, famã,
eò, animi gestientis sensu accepit;
quasi ex Tuæ Frontis splendore,
publicæ felicitatis, legisset serenitatem.
Magnus Poloniæ Protector,
id totum, se, pro Regni gloria, egisse arbitrabatur,
quidquid egisset, pro Tua.

Cardinalis Barberinus, Episc. Cracov Stanislao Dæmbski literis gratias refert, pro collato Suffraganei Cracoviensis, munere.

Amant nimirùm Apes, in CASIMIRO Lilia;
& in Te Antistite, melleum nectar Ambrosij;
non jam faciunt, sed inveniunt.
Post Purpuræ Romanæ suffragium,
ipsius innocentissimi candoris calculum habuisti;
hoc est; Albani post Barberinum,
Viderant Te,
In eminẽtia Infulatæ virtutis, Eminentissimi;
Dixit talem,
Supremum Orbis Caput.
nec dubitare fas est, quod probat Sanctissimus.
Eodẽ ore, quô promuntur oracula, prolatus es,
Pontifex;

Clemens XI. vivæ vocis oraculo, præconisat Celsissimũ Principem in Episcopũ Chełmẽsem.

tamq; propè, Fidei articulis acceſſiſti,
quàm propè
primis faſtigijs, paria ponis merita,
niſi, quòd fides neſcia ſit cerni,
Tu verò palàm omnibus facis, quód
in una Infula, ſupremos Honorum Apices merearis.
Metire magnitudinem Tuam PRINCEPS,
vicina DEo Majeſtas, Te, nobis Antiſtitē declaravit.
Tu Dijs Te proximum facis,
Dum factis, ea oracula probas, quæ pænè divina ſunt.
Fides Orphei, extra fabulam, in Te, fidem invenêre,
Illæ, inculta ſaxorum juga,
plùs laborante fingentium mendacio,
quàm vocali citharâ,
ſuis moverunt ſedibus;
Tu Septicollem Romam,
Tu Clementis XI. avitos Montes,
Tu, ipſa coronata faſtigia,
Morum Tuorum dulcedine, in Poloniam traxiſti.
Sed nondum hîc ſtetiſti,
humanâ quidem mente, hoc altiùs eſt, Tuum tamen,
quod dicam;
Emeritum Caput, iam Sole plenum,
ſolo tamen ambitionis fumo, vacuum eſt.
Ipſe meridianus fulgor, illud occupat;
Et tamē, etiam minoribus umbris, illud accline geris.
Cælum ſanctitate, & virtutum ſplendore æquat,
at Terras quoq; benefico influxu non dedignatur.
Ita Celſiſsime Antiſtes;
Dum Caput, Sole extero majùs attollis,
Omnium mentes,
Immortalium operum luce, imples, & ſuperas.

CAPVT
Implens Faciē Polonæ Reipublicæ.



- - - - - Cicatrix,

- - - Consāguineum, facit una, Senatū.

AUde penna! quod Astra timent, quod Apollo veretur,
Quod nescit Gens docta loqui. Bibe sanguinis æquor
Immensum, Divosq; Numas, fortesq; Camillos,

Æqualesq; Dijs, Homines. Pro! quantus Auorum!
Ordo stetit, Dux *Magne, Tuum, festivus ad Ortum,*
Ut Solem, Soles parerent, Partumq; Supremum,
De summis, Natura daret. Præiere Nepoti,
Ingentes Proavi, Te solo, Infante Minores;
Sic gemmis conchæ, præeunt sic flumina Ponto,
Et pariter, roseo, proles Hyperione fusa,
Antevolat Phœbi faciem, vultumq; Dierum.
O! longum Patriæ votum, necdum Astra videbas,
Jam POMIAN, Tibi Sidus erat; jam major Olympo
Łubna; *Jovem Lechiæ, poterat genuisse videri,*
Nî Jove majorem, mitis, Te, dextra probâsset,
Et prælusissent matura crepundia, veris
Fascibus. His similes optabant Numina cunas,
Obsequioq; pari Superos Lucina fovebat.
Aspice Stemma Domûs: Caput *est, Pacisq, Sagiq;,*
Et Regni, Facies prima. Hoc ex Fonte, potentes
LVBIENII *manant, victor cùm sanguis, apertâ*
Fronte ruit, cunctoq; cruor formosior ostro.
Tot titulos, Patriasq; replet Mens icta curules;
Ut sint, in trabeis plures, quàm vulnere, guttæ.
Vestra regit Mens, omne Decus. Dum Fronte Cicatrix
Alta rubet; Consanguineū, facit una, Senatum.
Nec Genus exhaustum est: Non tot, Trojanus habebat
Heroas Sonipes, Magnos, quot protulit URUS
Purpureos Patres, & amæno Murice Cives,
Internumq; Throno populum. Tot Nomina! PRÆSUL,
Et fasces tinxit color hic, quem vertice POMIAN
Effudit. Rubuêre Duces, rubuêre Quirites,
Et vivunt in Te, omnes.

Ponite

PONITE

Imbecillitatis vestræ conscientiam, paginæ;
pro nativo pallore,
Lechici Senatûs Purpuram, induistis.
Vnum, Illustrissimæ Domûs, CAPVT scribitis,
Et
Iam, totum Purpuratorum cætum, collegistis,
Satis fuit multis ad gloriam,
Nullam duxisse diem, sine Lineâ;
Tu Celsissime Princeps,
Nisi Annales factis, fastos Gloriâ,
Totam Reipublicæ Faciem,
Avito impleas Capite;
Nihil, Te dignum egisse, arbitraris.
In primam, Domûs Tuæ plantam, Caput descendit;
Hoc est;
à fastigio, in quod summa omnia desinunt;
meritorum primordia cæpisti.
Nimirum, eodem fundamento, quô Romanum Capitolium,
Maiorum Tuorum atria niti debuêre,
In quibus, plura habitant Tutelaria Patriæ Numina,
quàm olim in Vrbe Dij.
Sæpè, omnem movit lapidem antiquitas;
Vt inculta saxa, in sui honoris molem attolleret;
Tuorum,
Vt, par, meritorum magnitudini, poneretur Augustale;
Omne ingenium Lucina movit, totam splendoris
pompam, in unum Caput, colligendo.
Eodem apparatu
in Lucem, singuli ex hac Domo prodîjstis,

 quô

435 quô ipſe Siderum Princeps Sol;
qui, ut Terris illuxit, jam ingens eſt,
& totus, Caput eſt.
Altô quantumvis Zodiaco, effulgeat Taurus,
infrà, mortalium invidiam, jacet;
quē, communis, etiã cum ſcorpionibus lux irradiat;
Nobis, ad publici Honoris diem accendendam,
ſatìs ſplendoris, VRVS vehit.
In quo,
Plura, innocentiſſimæ virtutis ſidera effulſiſſe advertimus,
quàm, illa, ad ſui mendacij pompam,
numeravit Cœlum Coſrois.
Intelligimus! intelligimus! cur Avito huic CAPITI,
aureum annulum detraxerit vetuſtas;
Nimirùm,
Tot decorũ amplitudini, quævis ſphæra anguſta eſt;
à cujus ore, in tot, Regum, Regniq; Cancellarijs,
integrum pendere orbem, advertit Polonia.
Influxit in Avitas ceras, pro annulo, hæres Gladius;
Hoc eſt; pro vacua cyfra,
Heroicæ fortitudinis ingens pondus.
Vnde palàm eſt;
Non unum, tanto Capiti ineſſe acumen;
unum barbaris mētibus, ferrô profligandis impēditis
Magni Heróès,
alterum Ingenij, ad ſeculorum eruditionē, ſtringitis
Sapientiæ Magiſtri.
Apud pleroſq;, Mucro, tantùm latus occupat,
apud ŁVBIENIOS,
etiam in limatiſſimam Mentis aciem, totus abîjt.
Diſcite Secula!

In hac

In hac Domo, æquè ratione Invictos naſci, ac ferrô.
Legimus ſemper, in Gentilitia Fronte,
Martis characterem, altam Cicatricem,
& in comperto habemus, quantum pro Patriæ
incolumitate laboraverit CAPVT hoc.
Tātus ſudor ſanguineꝰ, nonniſi purpurâ abſtergēdus.
O! quantùm jam Decorum tinxit hic virtutis color!
Hoc ſanguinis altô, tot Ducum Mitræ,
tot Senatorum Trabeæ,
& ſexcenta Purpurati Honoris inſignia, rubuêre!
Eo per compendia;
Videte, & invidete Poſteri!

Avus Tuus Celſiſſimus Princeps,
Primas Regni,
MATHIAS ŁUBIENSKI,

Sæculi præteriti DECVS, Noſtri Suſpirium,
In tanto Honorum culmine poſitus,
ut Patriæ commodo,
ex tam alto faſtigio, faciliùs proſpiceret.
Inter præcipua, fortunæ ſuæ, lucra,
Civium utilitates numerabat,
Quibus, etiam tunc nunquam deerat,
cùm deeſſent, qui poſtularent.
Præveniebat ſupplicum vota,
Ipſe ad votum omnium,

Magnus Senator, & Antiſtes.

Difficillima Regni tempeſtate, ita feliciter
publicam Regni Claſſem moderatus;
ut ipſi decumani fluctus, quibus jactabatur,
in Altum Gloriæ illam eveherent.

437

Frater ejus
STANISLAUS ŁUBIENSKI,
Episcopus Płocensis,
Procancellarius Regni,
Gemmas Poloniæ, annulô, non tam ceris,
quàm sui Nominis immortalitatem,
Posterorum memoriæ imprimebat.
Legatus ad URBANUM VIII,
qualem certiùs optare, quàm sperare, nobis licuit.
Ita
Exteri Orbis traxit admirationem,
ut magnes esse crederetur,
qui
Aureus Regni Minister, ubiq; videbatur.
Vivus, nullius unquam violavit lachrymas,
ut integras tumulo inferret.
& fecit abundè;
Flevit illum
VLADISLAVS IV. REX POLONIÆ,
Metire ex lachrymis jacturam,
Cui
Indoluit ipsa Regni Serenitas.
Quem non tangit, nisi totius Orbis Casus,
sub tanti funeris pondere,
visus est solvi in lachrymas.
Avunculum verò Tuum,
Celsissimum Ducem Severiæ,
ANDREAM TRZEBICKI,
Episcopum Cracoviensem,

è Cineribus non refodio; 438
altius enim aliquid mortalitate, ſpirare hactenus videtur.
Ingens hæc Anima, tota ſupra hominem eminebat.
Cæleſti igne Homines,
atq; Sole ſideribusq; ardere inter Prometheas fabulas cenſeremus,
Nisì animum Aſtris puriorem,
in tanto Antiſtite vidiſſemus.
Non blandior;
(neq; enim licet, in tot, tantarumq; virtutum frequentia.)
Vivum erat, omnibus imitandum exemplar,
ſi non ea exhibuiſſet,
quæ imitari vix auderent,
aut Optimi tantùm, aut Summi.
Hinc
Avitum ŁVBIENSCIORVM Inſigne,
Summorum in Republica Capitum,
Caput eſt.
Feliciùs enim, illô ſuprema Regni Noſtri Nomina
DVCES WISNIOWIECCII, KONIECPOLSCII, ZAMOYSCII, OPACCII, DAMBSCII, CIENSCII, GOMOLINSCII, PRZERĘMBSCII, LESCZYNII, SOKOŁOVII, ROXICCII, GRABSCII, MORSCII,
quàm Pantheo Numina concluduntur.
Quos, tanquam Gloriæ ſuæ militantes,
Inſignis Genitor Tuus,
VEXILLIFER SIRADIENSIS,
SIGISMUNDUS ŁUBIENSKI,
ſub ſigna victricia, Magno ſanguinis, traxit nexu.
Illuſtriſsimum verò,
Invictiſsimi REGIS Poloniarum,

439 Primæ Cohortis Generalem
Fratrem Tuum,
BOGVSLAVM ŁVBIENSKI,
quâ ſtyli eminentiâ nominabimus?
qui
tam propè Regio lateri acceſsit,
quàm propè Cordi eſt.
In alto publicæ ſpei culmine, poſitus,
eam, heroico paſſu, gloriæ metam attigit,
quam multi optant, pauci aſſequuntur.
Mitto reliqua Magna Nomina,
quia in Te uno,
Celſiſsime PRINCEPS,
leguntur omnia.
Iam illorum æquabas magnitudinem,
cùm vix in Cognomen immigrâſſes.
Vnde in prima ſtatim Luce Tua,
Omnes, qui Te expectabant Tituli,
velut in ſpeculo quodam, viſebantur.
Et hoc tandem Virtutis Tuæ prodigium eſto,
quòd cùm in Avito CAPITE,
Totam Polonæ Reipublicæ Faciem,
impleas,
Rhetorum ingenia, Operum amplitudine,
Oratorum linguas, Famæ Claſsicô,
Vniverſorum oculos, admiratione,
exceſsiſti.

Dicam tamen amplius.
Tantus cùm ſis Vniverſorum Commodo,
Talem Te eſſe ſolus ignoras.
Ex ſublimi Conſanguinitatis Arbore,
Nihil præter Vmbram,
Ex Alto profundiſsimæ Eruditionis Tuæ
Nihil præter fundum,
Ex tot Titulorum ſerenitate
Nihil præter Nubem ambiendo.
Quod dum facis
Modeſtiſsime PRINCEPS,
Ipſas tenebras in Tuæ Virtutis Venerationem accendiſti.
Diſcite Poſteri,
Nemo clariùs Orbi præluxit,
Quàm qui digna Sole agendo,
Lucere declinavit.

Claudo Paginam, ſed non ingens Virtutum Tuarũ Theatrũ *PRINCEPS CELSISSIME.* Seculorum negotium eſt, quod in dies nobis exhibes. *Avitum CAPUT* Tuum, quidquid pro publica ſalute cogitat, totâ penè æternitate relinquit poſteris expendendum. Exigua opella hæc, quamvis creſcat in immenſum, nunquam aut mole ſua, *CELSITUDINEM* Tuam, aut cultu lucem meritorum aſſequitur. Sed neq; Probitas Tua amat unquam tota videri, nec unquam tota poteſt. Grandia ſidera noctes habent, gemmæ profundo defiguntur, dedignantur ſoles aſpici, & ſerenita-

tem quam volunt esse publicam, nunquam sine umbrarum apparatu, Orbi dispensant; magno cælorum arcano, plusnè terris ostentent, quàm servent Superûm obtutibus. Antequam tamen in Tuis encomijs, stylus & ingenium succumbat Oratoris, permitte, ut primam ingressûs Tui lucem, quâ diem accendisti populorum lætitiæ, prono adoret poplite.

Heu sæpè præpostera humani fastûs consilia! Toto mendaciorum apparatu laborandum est, ut in publicum personata prodeat ambitio. Sæpè etiam stelliones astra induunt, Cinis scintillis ridet. Iunonia volucris auro collucet obryzô, & inani plumarum gazâ superbit, cùm interim cruda lateant venena, doli nutriantur, inaurentur falsitates. TV *DUX MAGNE*, ex Teipso pompam facis, Tibiq; solus ad Supremi Nominis sufficis splendorem. Non ventosæ arrogantiæ explicas labarum, ut aura populari proveharis in sublime. Erecta Tecum populorum fortuna, accensus ex ipsis cineribus, Divorum templis nitor, reddita sibi alta Patriæ tranquillitas, humeri sunt, quibus omni sublimiùs invidiâ, Tua surgit gloria. Nihil hîc proinde vesane livor, (si in tanta luce non cæcutis) videbis ad ostentationem, omnia tamen ad prodigium.

Ingrederis ergo Vrbem Tuam Poloniæ CAPVT, qui pridem jam omnium corda occupasti. Ingrederis Regum Regniq; Capitolium; hîc Reges fiunt, cuduntur diademata, & vota Civium in Principe suo coronantur. Magna Mo-

deſtiæ Tuæ impoſita eſt eminendi neceſſitas, qui eodem tramite incedis ad Infulas, quo Reges ad Coronas. Sed Tu poſito omni ambitionis faſtu; ad Aras, ad Curas Paſtorales, ad indefeſſi zeli exempla, majori animo ſemper contendiſti, quàm pleriq; ad ſummæ fortunæ apicem eluctantur. Tanta delati Tibi Nominis amplitudo, nunquàm Te à priſtino Virtutis gradu revocavit; idem Probitatis Tuæ & Honoris paſſus eſt, niſi quod illa ſemper præeat. Hinc fit, ut plùs à verecundia Tua, quàm à Purpura, ducat colorem trabeata Religio.

Ingrederis Baſilicam Tuam, Regum Poloniæ exuvijs grandem, & ſimul emortuos cineres, in meliorem ſpem erigis publicæ tranquillitatis. Tuæ gloriæ Claſſicum non interturbat altam Divorum Manium pacem, ſed auget. Non ſentiunt mortalitatis onus Illuſtres Animæ, quas Tuæ ſanctimoniæ erigit immortalitas. Ipſi tumuli ſepulta Regij oſtri ſerenitate, Virtutum Tuarum ſplendoribus illuſtrantur. Non tam ferri machinâ, quàm profundâ pietatis Tuæ admiratione pendentia vidimus Mauſolea. Excutite lethi ſoporem Extincta Regni Sidera, *Ingentem* liminibus veſtris *Polonæ felicitatis* hodie intulimus *Animam*.

Propiùs jam accede Aris *MAGNE ANTISTES*, infer Te Altaribus *Supremum Noſtræ Integritatis Votum*. Videant Superi Munus, quod non poterat nobis, niſi è Cælo donari. Expectant Te *DIVI STANISLAI* Sacræ Exuviæ, & Magnũ hoc Reipublicæ Funus quod olim audax dederat impietas, ad conſpectum Tuum, quo ſerenas omnia, in trophæum

gloriæ


gloriæ animatur. Ipſe *DIVINISSIMUS PRÆSUL* poſitus in illo beatæ æternitatis ſinu, habet adhuc ſupremum felicitatis ſuæ cumulum in terris, Eum videre Succeſſorem ad Infulas, qui ſimul Hæres ſit in præcelſæ pietatis exemplo; Cujus Pontificio Pedo, ſecuriùs inniti poſſit Templum Virtutis, quàm ſuis regia Solis, columnis. Fuerit plurimis ſatìs ad venerationem erga Divorum Lipſana, floribus tumulum reſperſiſſe & breve veris decus, in perpetuum honoris coëgiſſe argumentum. Tu præter nata Tecum *LILIA CASIMIRI*, Innocentiſſimam probitatem, non corruptam depravato ſeculo conſcientiam, illibatæ virtutis mores, ad Divi Martyris tumbam, Aris ejus intuliſti. Dedignantur jam credo Sacri Cineres, argenteo quantumvis tumulari candore, cùm ſe nobiliùs, in pectoris Tui Innocentia recludi videant.

Aſcende jam tot Pontificum eminentiâ ſublime Solium, quod Meritorum Tuorum amplitudine imples & auges Tantus ubiq; ut Culmen ſummis abſtuliſſe videaris, hoc eſt, Vbiq; *CELSISSIMUS*, Vbiq; *PRINCEPS*. Talem Te ergo nobis diu ſervent Superi, qualem dederunt. Publica eſt incolumitas Tua; laboraret Tecum Patria, & ipſa Religio occumberet, ſi mori poſſet. Perge, ſeculis adorando meritorum veſtigio, per Infulas Secundas ad Primas, & in tanto Honorum Sole, qui CAPVT Tuum irradiat, *temperet aſtra Galerus.* Eminentiſſimo Purpuratorum Patrum Capitolio, nihil eſt viciniùs Eminenti tot jã Infulis

28 444

CAPITE. Triplici Supremæ Poteſtatis Tiaræ, Terno Diademate Vavelli ſimilius nihil. Hoc Orbi canimus, hoc vovemus, hoc Tu mereris, hoc in victura ſemper pagina Æternitati porrigimus.

Vnum ſupereſt, quod prona veneratione à Te expoſcit *Societas*, ut eam, dignam Principe Tua cura facias. *Minima eſt*, ſed etiam Purpuræ atomos patiuntur. Hanc ſi ex conſuetudine Bonitatis Tuæ reſpexeris, ad invidiam ſeculorum, ad poſterorum pretium, ad Tui Nominis menſuram, ad perpetuæ gratitudinis ſenſum. *Maximam* reddidiſti.



445

